





932
F. LXXVII.
DISPUTATIO IURIDICA 4746, 14.
DE
LEGATIS EX TESTAMENTO

C V I
CLAUSULA CODICILLARIS INEST
DESTITVTO NON PRAESTANDIS

Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

A. D. IV. AVG. CIOIOCCXXXVVL

H. L. Q. C.
DEFENDERE
SVSCIPIENT

D. CHRISTIANVS WILHELMVS
K V S T N E R V S

SVPR. CVR. PROVINC. ET CONSISTOR. ADVOCATVS

ET
IOANNES WILHELMVS RICHTERVS

LIPSIENSIS.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

DISPUTATIO IURIDICA
DE
LEGATIS EX TESTAMENTO
CUI
CLAUSULA CODICILLARIS INEST
DISPUTATIO NON PRÆSTANDA

AVVM
INSTITUTIS IURIS ORDINIS
ACADEMIAE
A. D. MDCCLXXXIV

D. CHRISTIANVS WILHELMVS
K. V. S. T. N. E. R. V. S.
SARL. CAR. TROVINC. ET CONSISTOR. ADVOCATVS

JOHANNES WILHELMVS RICHTERVS
P. T. S. T. N. E. R. V. S.

L I P S I A E



Q. D. B. V.

§. I.

Praefatio, qua docetur, apud antiquissimos Romanos sublatum testamentum etiam legata concidisse.



uanquam naturae rerum, et aequitati videatur cum maxime conueniens atque accommodarum, ut mortuorum voluntates, quali tandem cunque forma sint compositae, conferrentur, Iure tamen Romano, quo magis hominum iniquorum fraudes machinationesque circumciderentur, constitutum esse scimus, ut certae quaedam formulae ritusque adhiberentur, quibus admissis testamentum valeret, iisque neglectis testamenti vis concideret. Quo certus definitusque

A 2

tusque

tusque testium numerus, eorum subscriptio et sub-
 gnatio, necessaria heredis institutio, testatoris, atque
 heredis status, et huiusce generis alia referenda
 sunt. Quam ob rem Iuris periti varia excogitarunt
 testamentorum nomina, quibus, quid cuique testa-
 mento vitii inesset, demonstrarent, quod nullius, in-
 iusti, rupti, irriti, desituti, et rescissi testamenti exempla
 satis comprobant. Iam vero, eiusmodi testamenta sua
 natura haud valere, neque quidquam ex bonis defun-
 cti, si ab inofficioso recesseris, ad heredem scriptum
 transferre, nemo negat. Quam ipsam rationem et in
 legatis eiusmodi testamento relictis procedere, a vero
 non procul abest. Quid enim? Nonne putabimus in
 adductis testamentis et legatarios excidere legatis sibi
 relictis? Qui enim fieret, ut, cum omne testamentum
 vitio laboret, ea, in qua legatorum res agitur, testa-
 menti pars hac quasi contagione non afficiatur? Quae
 sententia ne noua videatur, facile, eam ab anti-
 quissimis Romanis usurpatam fuisse, probari potest.
 Quod ea inprimis efficiam argumentatione, quae, uti
 est omnium difficillima, ita etiam omnium certissima,
 quaeque inductione, siue exemplorum commemoratio-
 ne continetur. Ut igitur a certis ad dubia procedat
 oratio. Ex testamento *nullo, filio praeterito, qui fuit
 in patria potestate, legata non praestari auctoritate
 l. 17. D. de iniust. confirmo. Quam rationem et in
 iniustis, in quibus externa solennitas est praetermissa,*
 seruari,

seruari, facile largiuntur omnes, atque ipsa rei natura demonstrat. Neque sane facile in dubitationem vocari potest testamentum *ruptum*, ex quo nihil deberi, neque peti posse, per *l. i. C. de posth. hered. instit. explorati iuris est.* Quae et irriti natura est, vt mutato testatoris, vel heredis statu nec heredis institutio, nec legata consistere possint, cum ea, quae re-
cte constiterunt, resoluuntur, cum in eum casum inciderunt, a quo non potuerint consistere l. 98. D. de Verb. Oblig. Neque sane aliter, nisi fallor, se res habuit apud antiquos Romanos in testamento *inofficio-
 so*, cuius ea ratio est, vt defunctum tum, cum testa-
 retur, motae mentis haberet. Quid enim? Putabisne Romanos Iuris peritos fuisse adeo inconstantes in ratiocinando, vt vno eodemque tempore defunctum motae, et integrae mentis fuisse dicerent, cum vno actu et heres instituendus, et legata relinquenda sint. Neque sane argumenta, quae ex *Nou. CXV. cap. 3. et 4.* in contrarium adducuntur, huic opinioni officiant, cum ea, vt quisque facile intelligit, ad recentiora tantum tempora pertineant. Restat igitur *destitutum*, in quo *si nemo subit hereditatem, omnis vis testamenti soluitur l. 181. D. de Reg. Iur.* Iam vero, vt nihil dicam de eo, in quo recentioribus temporibus in adductis testamenti speciebus tum per clausulam codicillarem, tum per alias constitutiones ab hac veterum opinione recessum est, maneamus iam in destituto, et cum haud pauci Viri

Docti in ea sint opinione, vt recentioribus temporibus aliquam mutationem destituto testamento illatam esse putent, haud male nostram operam, credo, consumemus, si, etiam hodie in testamento destituto omni relicta legata exigi haud posse, pro virium nostrarum imbecillitate commonstremus.

§. II.

Definitio testamenti destituti traditur.

Vt vero via atque ordine procedamus, breuissimis testamenti destituti finitionem praemittamus, non quod existimamus, posse hoc esse ignotum Viris in hac arte Doctis, sed quo facilius possit de tota re ferri iudicium, neque Philosophorum nimis curatorum censura nos vexet. Cum igitur testamentum factum sit, et aliquis voluntatis suae iustam sententiam de eo, quod post mortem suam fieri velit, proposuerit, possunt profecto eiusmodi incidere casus, qui efficiunt, vt relicta bona ad heredem scriptum, qui adire hereditatem vel nequeat, vel nolit, haud perueniant. Quod si factum est, destitui testamentum dicunt. Eleganti sane verbo, et ad rem maximopere accommodato, quod is, cui quid promissum erat, neque seruabatur, destitutum se querebatur *cic. de Offic. l. 10.* Qua igitur confidentia aliquis promissam pecuniam se accepturum putat, eadem testator relictam hereditatem ab herede aditam iri sperat, quod si is neglexerit, et hereditas, et testamentum, quod *in irritum constitutum: l. 1. D. de iniust. rupt. et frustaneum est,*

est, destitutum dicitur. Quae res duplici in primis ratione fieri potest, vel cum heres hereditatem adire non vult, vel eam non subire potest. v. c. si heres morte abripiatur prius, quam cernat hereditatem, aut si quis ob deficientem conditionem ab ea arceatur.

§. III.

Testamento destitutum legata quoque in eo relicta perimi ostenditur.

Quemadmodum igitur sole clarius est, eiusmodi testamentum destitutum per se non consistere, et si nemo hereditatem subiit, omnem vim testamenti solui: l. 181. D. de Reg. Iur. ita sane facile potest intelligi, omiſſa hereditate, totam rem ad causam intestati peruenire. Cuius rei auctoritatem si quis velit, eam in §. 2. I. quibus mod. testam. inueniet. Ideoque si quis aut noluerit heres esse, aut viuo testatore, aut post mortem eius, antequam hereditatem adiret, decesserit, aut conditione, sub qua heres institutus est, defectus sit, in his casibus paterfamilias intestatus moritur. At, si testator in suprema voluntate non heredi tantum, sed et aliis, prospexerit relinquendo legata, nonne videtur iniquum, vt et ii bonis destinatis excidant, atque ex heredis omissione sine culpa damnum perſentiant? Falleris sane, neque eo aequitas, quam prae te fers, procedit. Quid enim? Cum omne legatum hereditatis tantum sit delibatio, atque pars testamenti, qui fiat, vt, cum praecipuum, quae heredis est institutio, concidat, reliqua testamenti conferuentur? Quae ne temere a nobis

bis

bis videantur dicta, vnum alterumue locum adducamus, quibus sententia nostra confirmatur. Praeter enim *l. 181. D. de Reg. Iur. supra iam add.* ex qua *si nemo hereditatem subierit, omnis testamenti vis soluitur*, POMPONIVS in *l. 9. D. de testam. tutel. Si nemo hereditatem adierit, nihil valet ex his, quae testamento scripta sunt* ait, quem suffragio suo adiuvat CAIVS in *l. 17. D. si quis ommissa causa testam. Liberum cuique esse debet, etiam lucrosam hereditatem omittere, licet eo modo legata libertatesque intercidunt.* quod ipsum clarius confirmat §. 2. I. *de lege Falcid. Heredi liberum est non adire hereditatem, quae res efficit, ut sit necesse legatariis, ne destituito testamento nihil consequantur, cum herede in portione pacisci.* Quae sententia etiam locum habet in reliquis destituti testamenti speciebus, quemadmodum videre est ex §. 2. I. *quibus mod. testam. breui antea citata*, in qua nihil discriminis ponitur in eo, an quis hereditatem adire vel non vult, vel non potest. Atque praeterea *l. 2. C. si ommissa sit caus. de eo ipso casu, si quis hereditatem adire non potest, ita sancit: Cum neque adiri ex testamento hereditas, neque bonorum possessio peti possit, iudicium defuncti non usurpabitur, sed ad irritum iuris ratione reuocatum est, petitio relictorum nullo iure procedit. Si vero iure factio testamento, cessante herede scripto, alter ab intestato adit hereditatem, neque libertates, neque legata ex testamento posse praestari, manifestum est.* Quis igitur est, qui in tanta rei claritate ita coecus sit, qui

qui non videat, verum esse, quod in vniuersum posuimus, ex testamento destituto ne legata quidem praestari debere. Quid quod, si quis contrariam sententiam vellet tueri, nonne necessario contenderet, *eundem pro parte testato, et pro parte intestato mori, et ea, quae accessionum locum obtinent, haud extingui, cum principales res peremptae fuerint*, quae, quantum cum primis Iuris Civilis principiis, vti l. 7. D. de Reg. Iuris, et l. 2. D. de pecul. legat. pugnent, et tyronibus notum esse debet.

§. IV.

Quid iuris sit in fideicommissis, demonstratur.

Sed relicto testamento, ad aliud genus supremae voluntatis, quod fideicommissum nuncupatur, pergamus. Iam vt non verbis orationeque abundem in origine et progressu fideicommissorum declaranda, quae inter omnes satis constat. Ex Augusti temporibus cum iure quis poterat bona sua per fideicommissum relinquere, paulo post SCrum Pegasianum heredem adeo fiduciarium ad hereditatem adeundam, vel totam fideicommissario restituendam adigebat §. 7. I. de fideic. hered. qua ratione testamentum, si etiam heres adire nollet, nunquam ad casum destituti peruenire, nec legata interire poterant. Sed si heres institutus ob mortem non poterat adire, quid tunc iuris fuerit, maiori difficultate videtur implicitum. Qui enim heres, qui non amplius in vita est, compelli ad subeundam hereditatem potest? Putabimusne hac in caussa

B

migran-

migrandas esse leges, quae in testamento destituto sanc-
 ciunt id, quod tunc nec hereditas, nec legata debeantur?
 Minime vero. Quid enim, quaeso, est conuenientius,
 quam ut, cum ex testamento, quod iure non valet, nec
 fideicommissum quidem, si non ab intestato quoque succeden-
 tes rogati probentur, peti possit per l. 29. C. de Fideic. ex
 eiusmodi testamento inualido et destituto nec legata
 possint exigi, inprimis quod fideicommissorum et lega-
 torum natura recentiori tempore parum inter se diffe-
 rant §. 3. l. de legat Sed ulterius in isto, neque rerum
 similitudine et coniectura, sed ipsis legum verbis pu-
 gnandum est. Vide enim quam egregie nostram sen-
 tentiam comprobat MAECIANVS l. 42. D. de fideic.
*libert. Antoninus Augustus Pius noster, quo militum
 suorum per omnia rata esset voluntas suprema, cum et
 institutus et substitutus in continenti, priusquam adi-
 rent hereditatem, decessissent, eos, quibus ab his et liber-
 tas et hereditas a milite per fideicommissum data esset, per-
 inde liberos et heredes esse iussit, ac si utrumque directo
 accepissent. Eorum autem, qui a pagano libertatem et he-
 reditatem per fideicommissum acceperant, cum aequae in
 continenti et institutus et substitutus decessisset, satis ha-
 buit libertatem confirmare. Ex quo loco satis apparet
 ex fideicommissio destituto nec hereditatem, nec, quod
 eius pars est et delibatio, legatum, sed ob libertatis fa-
 uorem libertatem ab Antonino tantum fuisse confer-
 uatam. Sed haec omnia ad fideicommissum, in testa-
 mento*

mento iure condito, vt IUSTINIANI verbis §. 2. *I. de fideicomm. heredit.* vtar, relictum tantum pertinent. Restat, vt vel tria verba de fideicommissio praesentibus V. testibus et codicillis confecto, siue eo ab intestato, cum quis heredis ab intestato fidei aliquid committit, afferam. Iam inter omnes constat, coram V. testibus et codicillis per fideicommissum hereditatem posse relinqui per §. 12. *I. de fideic. hered.* et §. 2. *I. de codic.* Cui non obest, quod hereditas neque dari neque adimi codicillis possit, cum haec ad verba illa directa et solennia, non vero ad precaria, quibus heres restituere hereditatem rogatur, pertineant, quod recte explicat. *l. 2. C. de codicill.* Non igitur est, quod, si codicillorum vim paullo curatius consideremus, dubitemus, quin eiusmodi fideicommissum codicillis relictum pariter ac legata praestanda sint, inprimis, cum codicilli, quibus *nec instituendi, nec substituendi potestas data est l. 7. C. eod.* defuncti propriae haud possint. Quae ratio etiam obtinet tum, cum defunctus heredem suum ab intestato viua voce rogauit: *vt hereditatem suam totam, partemue eius, aut rem aliquam alicui restituat, cum alioqui legata, nisi ex testamento, non valeant. §. 10. 12. I. de fideic. hered.*

§. V.

De codicillis, et eorum diuisione agitur.

A Fideicommissis non multum discrepat codicillorum ratio, qui, vt inter omnes constat, non adeo curatam exactamque testamentorum solennitatem desiderant,

rant, sed V. testium praesentia conficiuntur. Sed cum Iure Civili Romano duo sint codicillorum genera, alterum, quod *testato*, alterum, quod *ab intestato* fit, operae sane erit pretium de utroque vel brevissimis agere. Si quis igitur testamentum scripserit, atque insuper codicillos, quos an testamento confirmaverit, nec ne, nihil refert §. 1. I. *de codic.* hi codicilli testamenti naturam induunt, ita, ut, si testamentum valeat, ipsi quoque constant, si illud corruat, ipsi quoque concidant l. 16. ff. *de iure codicill.* Cum contra codicillus, qui ab intestato dicitur, et sine testamento componitur, *vicem tantum testamenti exhibeat* l. c. et codicilli vim prae se ferat. Quis igitur est, qui non videat, tum, cum quis testato codicillos reliquit, et testamentum, quod vitio quodam laborat, concidit, ex eiusmodi codicillis nulla legata peti posse. Cum enim codicilli *testamento facto, ius eius sequantur* l. 16. D. *de iure codic.* atque, *si ex testamento hereditas adita non fuisset, fideicommissum ex huiusmodi codicillis nullius momenti sit* l. 3. §. 2. *eod.* praetereaque *rupto testamento postumi agnatione, codicilli quoque ad testamentum pertinentes non valeant* l. 1. C. *de codic.* quis, quaeso, dubitabit, idem esse in legatis, inter quae atque fideicommissa magna sane similitudo intercedit, et quae per omnia his exaequata sunt l. 1. D. *de legat. I.* Quid quod, cum *codicilli pro parte testamenti iure meritoque habeantur* l. 14. *pr. D. de iure codic.* et vires suas ex testamenti efficacia capiunt, quis in notissimum Iuris prae-

praeceptum impingat, atque, dum legata praestari statuit, testatorem pro parte testatum et pro parte intestatum mortem obiisse, contendat. Quae cum ita sint, certo certius colligitur, in huiusmodi codicillis omnia ab heredis institutione et testamenti vi pendere, adeo, ut si haec vitiosa sit, nec legata salva maneat. per l. 3. *D. de pign.* Quae tamen ratio multum abest, ut ad alios codicillos ab intestato transferri possit, quibus heredis institutio et substitutio prorsus negatur l. 7. *C. de codic. neque hereditas dari neque adimi potest, ne confundantur iura testamentorum et codicillorum, ideoque iis nec exhereditatio scribi §. 2. I. de codic.* Quam ob rem cum in his codicillis ab intestato nullus scribi possit heres, facile videre est, eiusmodi codicillos neque destitui posse, sed potius fideicommissorum et legatorum causa esse confectos.

§. VI.

Opinio, ex qua testamenta cum clausula codicillari nihil, nisi codicilli a testato sunt, proponitur.

Quibus praemissis, facilius credo poterit dignosci de eo testamento, quod, quoniam clausula codicillaris ei adiecta est, ab hac et nomen sortitum est. In cuius rei tanquam notissimae notione ne morer lectores nostros, cum inter omnes constet, id ea velle efficere testatorem, ut si testamentum suum non valeat ut testamentum, iure codicillorum subsistat l. 3. *D. de testam. milit.* in eo potius nostra opera versabitur, ut demonstremus, hanc

speciem testamentorum proxime ad codicillos illos a testato accedere. Iam si ex iis, quae modo dicta sunt, animo repetamus, in codicillis ab intestato, heredis institutionem nullum habere locum, *l. 10. D. de iure codic.* sed in iis fideicommissa tantum atque legata admitti §. 2. *l. de cod.* facile consequitur, hodierna testamenta, quae etiam vicem codicillorum subire debent, per *l. cit. 3. D. de test. milit.* parum a codicillis a testato abesse, quod in illis, velut in testamento ipso, heredes scribuntur, iis alii substituuntur, huiusceque generis alia, quae, ut constat, non nisi in testamentis locum habent, inveniuntur. Quae ratio si cui non satis adhuc per se firma videatur, aliam, age, adducamus, eamque legibus confirmemus, quae codicillos, in quibus heres scribitur, aut heredi substituitur, magis speciem testamenti, quam codicillorum habere, disertis verbis docent v. c. IULIANVS *l. 20. D. de iur. codicill.* ait: *tabulas testamenti non intelligi, quibus heres scriptus non est: et magis codicilli, quam testamentum existimandae sunt*, in quo consentit quoque PAPINIANVS, *l. 13. §. 1. eod.* Si forte a Titio legata reliquit, substitutum adscripsit, heres si non extitisset, sine dubio non codicillos, sed testamentum facere voluisse intelligetur. At enim vero, si quis testari se velle confirmat, testamentum solenni modo condit, heredem instituit, eique substituit alios, ab herede legata relinquit, quae omnia in eiusmodi testamentis cum codicillari clausula adhiberi apud nos videmus,

videmus, nonne is testamentum fecisse dicendus est. Sed adiunxit clausulam: si non valet vt testamentum solenne, valeat vt codicillus. Fecit, haud inficior, codicillos. Sed cedo quales? Nonne eos, qui testamentum sequuntur? Nonne eos, qui cum testamento sunt connexi, et idem quod testamentum, praecipiunt? Nonne eos, qui nullam vim, sine testamento habent? Nonne tandem codicillis a testato simillimos, qui, vti supra ostendimus, sine testamento nulli sunt? Cum igitur eiusmodi codicilli *ius testamenti*, cui inest, sequantur l. 16. D. de iure codic. atque semper testamento vel expresse vel tacite confirmentur l. 5. eod. et hac ratione testamenti sint, vt ita dicam, accessorium, non credo a veritate decedam, si hos codicillos principalis interitum consequi l. 2. D. de pecul. leg. affirmem, inprimis cum Iuris Prudentes in vniuersum *omnem vim testamenti solui, si nemo hereditatem subeat*, doceant l. 181. D. de Reg. Iur. neque vilo in loco eam per clausulam codicillarem, quae tamen diu ante PAVLI, l. 181. cit. auctoris aetatem in vsum venit atque consuetudinem, sustineri posse indicent. Cui argumento aliud adhuc tanquam in praesidium adducam, quod ex plerorumque Iuris Consultorum doctrina, quae Iuris rationi conueniens est, codicilli a testato, heredem institutum, illi vero ab intestato heredem suum onerent. MENCKEN ad Institut. Lib. II. Tit. XV. §. 2.

§. VII.



de subsecuti §. VII. *Inde efficitur, ex eiusmodi testamento legata haud praestanda esse.*

Sed cui tandem bono adiicitur, haec Notariorum decantata clausula, et quid per eam efficitur? Quae in re si Pragmaticorum, et plerorumque Iuris Consultorum sententiam audias, nihil fere testamento inest vitii, cui non eiusmodi clausula, tanquam quaedam medicorum circumforaneorum panacea, possit mederi, et quam adeo efficacem esse iactant, ut, si qua ex parte testamentum heredis institutione, filiorum praeteritione et exheredatione laboret, per illud medicamen, statim conualescat, uti multis hoc confirmant SAM. STRYCKIVS *de Caut. Testam. Cap. XXIII. §. 37. seq. pag. 1031.* et, quos in rem suam adduxit, alii auctores. Sed, nisi me fallunt omnia, plus iusto vim huius rei extollunt Viri Doctissimi. Quo magis enim ipsam causam et originem huius clausulae considero, eo magis inclinatus animus, ut dicam, eam non nisi in primis defectum solennitatis externae supplere, et eo comparatam esse, ut, si testamentum factum sit non coram VII. testibus, iisque non rogatis, vel intestabilibus, et ei aliquid desit solennitatis, quod Iure Ciuili adiciendum erat, atque hac ratione fiat imperfectum, quod fere proprium verbum hac in causa est *l. 3. et 21. §. 1. C. de testam.* in quarum altera legitur: *Ex imperfecto testamento nec Imperatorem hereditatem vindicare posse, saepe constitutum est. Licet enim lex imperii solemnibus iuris Imperatorem,*
solue-

soluerit etc. et in altera enumeratis omnibus testamenti perfecti notis ei opponit haec: *Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos a parentibus utriusque sexus habeatur, non volumus.* cf. praeterea *l. 23. D. qui testam. fac. l. 3. D. de testam. mil. l. 2. §. 1. D. testam. quemadmodum aper. l. 23. D. de legat. III. Nov. CVII. c. 2.* tunc inquam ex adiecta clausula vt codicillus seruetur, quem in externis solennitatibus multum de Iuris rigore remittere scimus *l. vii. §. fin. C. de codicill. l. 3. D. de test. milit.* qua dicitur per eiusmodi clausulam imperfectum testamentum, siue cum paganus communi iure h. e. coram VII. testibus, adhibitisque solennitatibus omnibus voluerit testari, vt codicillum seruari, quae ratio etiam inuenitur in *l. 41. §. 3. D. de vulg. et pupill. substit.* cum ea scriptura, quam testamentum esse voluit, nec iure valuit, non codicillos facit, nisi hoc expressum est. Iam vero, cum hoc solenne testamentorum carmen non nisi ad externas solennitates pertinet, qui fiat, vt interna testamenti vitia sanare possit? atque cum codicillus, cuius vim praefert clausula illa, directam heredis institutionem repudiet, quis existimabit, per eam heredis, atque institutionis maculas posse extingui atque suppleri, cum certissimi iuris sit, vt *nemo plus iuris ad alium transferre possit, quam ipse habet per l. 54. D. de Reg. Iur.* Quid? nonne sequeretur, codicillos, vel clausulam codicillarem, quae ad testamenti efficaciam nunquam accedunt, plus valere

C

ipso

ipſo teſtamento, eique, vt non dicam, vim ſuam conſeruare, ſed etiam plus ei, quam ipſa teſtamenti forma habet, infundere. Cum enim, vt ſupra oſtendimus, ex ipſo teſtamento deſtituto nulla legata praefentur, clauſula codicillaris teſtamento imperfecto adiuncta ex Interpretum ſententia efficere debet, vt illud teſtamentum vitioſum nihilo minus contra iuris praecepta valeat, vimque ſuam obtineat. Quae ſententia quam legibus noſtris aduerſetur, docet PAPINIANVS l. 10. D. de iure codic. qui diſcretis verbis negat, *per codicillos, qui ex teſtamento valent, ipſum teſtamentum, quod vires per inſtitutionem heredum accipit, confirmari.* Cui rei accedit praeterea hoc, quod ipſa legatorum ratio ab heredis inſtitutione pendeat atque vi teſtamenti, et legata ipſa aliter valere non poſſint, *quam ſi teſtamentum ratum eſſe conſtet, l. 3. D. de pign.* vt etiam in codicillis legata, *ſi non heres legitimus rogatus ſit, alioqui, ita enim hoc interpretor, non, niſi ex teſtamento valent, §. 10. I. de fidei-commiſſ. hered.* Vt igitur omnia, quae adhuc diſputata ſunt, in vnum contraham, omnis noſtra argumentatio eo redit, vt, quoniam codicillaris clauſula nihil aliud quam codicillum a teſtato ſignificet, hic vero iura teſtamenti ſequatur l. 16. D. de iure codicill. porro codicilli natura ea ſit, vt tantum ſolemnitati externae ſuccurrat, neque id, quod non habet, ſc. heredis inſtitutionem, teſtamento adiungere, eique maiorem vim tribuere poſſit, quin praeterea legatorum valor ab heredis inſtitutione pen-

pendeat, inde recte colligatur, ex testamento cum clausula codicillari destituto nec legata soluenda esse. Quam sententiam vt legum praeterea auctoritate confirmemus: *Si ex testamento hereditas adita non fuit, fideicommissum ex codicillis nullius momenti est, l. 3. §. 2. D. de iure codicill. neque hereditas fideicommissaria vim suam exserit, si aequae in continenti institutus et substitutus decedant, per l. 42. D. de fideic. libert.* quod, vt saepe diximus, etiam ad legata transferri debet. Plura iam, quae ad tuendam sententiam nostram facerent, afferrem, nisi existimarem ei negotio iam satis a nobis esse factum, simulque verer, ne, quae adhuc in refellendis aduersariorum rationibus adducenda sunt, argumentis, si saepius recoquantur, Lectoribus fastidium atque nauseam excitent. Age igitur aduersariorum nostrorum argumenta, eorumque pondera diligenter exigamus.

§. VIII.

Non officit sententiae nostrae l. 76. D. ad SCrum Trebell.

Iam, qui clausulae codicillari eam vim tribuunt, vt destituto testamento etiam legata soluenda esse putent, ponunt hoc tanquam certum et indubitatum argumentum, quod per eiusmodi clausulam directa institutio in testamento inualido in fideicommissariam trahatur. Caius sententiae praesidium inprimis in *l. 76. D. ad SCrum Trebell.* sibi inuenisse persuadent, in qua hoc scriptum est: *Scaeuola respondit: Si pater filium suum impuberem ex asse scripserit heredem, eique codicillis substituerit,*
deinde



deinde filius impubes decesserit, licet substitutio inutilis sit, quia codicillis hereditas neque dari neque adimi potest, tamen benigna interpretatione placet, ut mater, quæ ab intestato pupillo successit, substitutis fideicommissis obligetur. Quid igitur? Nonne substitutio pupillaris vitiosa per codicillos sustinetur, et pro fideicommissaria hereditate habetur? Sed quo tandem iure? Nullo sane. Quid quod? ipse Scaeuola eiusmodi substitutionem iure esse inutilem confirmat. Valet igitur tantum ex benigna interpretatione, quod videretur æquum, patris voluntatem, qui impuberis filii post mortem, bona sua ad substitutum peruenire volebat, conseruari. Quam tamen Scaeuolæ opinionem neque alii Iure Consulti, neque Imperatores, atque IVSTINIANVS secuti sunt, quod præcipue apparet ex l. 2. pr. §. 1. et l. 10. §. 4. D. de vulg. et pup. substit. et §. 5. I. de pupill. substit., in quibus patris testamento infirmato, ipsa substitutio corruere dicitur, adeo ut CONSTANTINVS l. 7. C. de Codic. atque IVSTINIANVS in §. 2. I. de Codic. hanc substituendi facultatem codicillis difertis verbis ademerit. Quis igitur non videt, hanc l. 76. D. ad SCram Trebell. cum singulare tantum factum complectatur, et ad alia haud extendenda sit, neque aliorum et posteriorum Iuris Auctorum suffragiis fulciatur, neminem posse eo commouere, ut, per clausulam codicillarem hereditatem testamento vitioso relictam in fideicommissum conuertere existimet. Et sane si vellem esse liberalis in concedendo, atque, hoc clausula illa effici

effici remitterem, et eiusmodi testamentum pro fideicommissis codicillis relicto haberem, ad nostram certe causam nihil faciet, quod *ULPIANVS l. 3. §. 2. D. de iure codicill.* expressis verbis enunciat: *Si ex testamento hereditas adita non fuisset, fideicommissum ex huiusmodi codicillis nullius momenti erit.*

§. IX.

Male opponitur l. 29. C. de Fideic.

Quam ob causam non video, quemadmodum ii, qui in primis Iure Consultorum Saxoniorum subselliis sedent, *BENED. CARPZOVIVS P. III. Const. II. Def. XXI. 10.* *HENR. BERGERVS Oecon. Iur. Lib. II. Tit. IV. §. 21.* et *LÜD. MENCKENIVS in Theor. et prax. Pand. Lib. XXVII. Tit. 3. §. 2.* in aliam partem transire potuerint, moti in primis auctoritate *l. 29. C. de Fideicommiss.* *Ex testamento, quod iure non valet, nec fideicommissum quidem, si non ab intestato quoque succedentes rogati probentur, peti potest.* Quae lex certe, nisi me fallit omnis opinio, et nostram sane sententiam corroborare videtur? Quid enim in ea aliud constituitur, nisi hoc, quod ex testamento imperfecto nec fideicommissum relictum seruetur, nisi et ipsi heredes ab intestato fuerint rogati? Iam ut neque ex ipso testamento, quod iure non valet, *per l. cit.* neque ex codicillis huiusmodi testamento adiunctis *l. 3. §. 2. D. de iure Cod. fideicommissum*, et quod ei per Iustinianum aequatum



est, legatum peti potest, et si nemo hereditatem subierit, *omnis testamenti vis solvitur*. l. 181. de Reg. Iur. facile sequitur, idem iuris in eo testamento, cui codicilli clausula appositae est, quaeque codicilli a testato naturam prae se fert, statuendum, illamque legem non, nisi ad eam speciem l. 13. D. de inoff. test. si etiam heres ab intestato rogatus est testamento, ut restituat, vel ad codicillos ab intestato, qui vulgo nuncupatiui dicuntur, pertinere, quod clarius commonstrat §. 10. I. de fideic. hered. in qua haec legimus: *Præterea intestatus quoque moriturus potest rogare eum, ad quem bona sua, vel legitimo iure, vel honorario, pertinere intelligit, ut hereditatem suam totam, partemue eius, aut rem aliquam, veluti fundum, hominem, pecuniam, aliquando restituat, cum alioqui legata, nisi ex testamento, non valeant, iam vero, quod defunctus heredem legitimum rogauerit, ut aliquid restituat, hoc non ex appo- sita clausula cernitur, sed enixae tantum voluntatis preces, quae ad omnem successionis speciem porrectae videntur* l. 77. §. 23. D. de legat. II. testantur, quae ipsae testibus, vel iureiurando probandae sunt, §. 12. I. de fideic. heredit. in primis cum inter omnes constat, heredes ab intestato, qui non sunt honorati, sed plerumque prorsus in testamento praeteriti, etiam fideicommissis, et legatis haud posse onerari, et ab eo, qui nihil a defuncto accepit, nihil per fideicommissum relinqui posse per l. 9. C. de Fideicom.

§. X. *Non repugnat opinioni nostrae Novella I. cap. I.*

Sed iungit huic argumento aliud B. MENCKENIVS loc. add. petitum ex *Novella I. cap. I.* quod tamen, nisi egregie fallor, ad hanc nostram causam paruum momentum affert. Cum enim Iustinianus videret, quosdam adita hereditate, non implere, quod dispositum erat, et ex decreto Iudicis admonitos annum totum protrahere, quosdam vero ipsam hereditatem nolle adire, atque veller, vt heres, vel qui a testatore honoratus esset, quaecunque testator disposuerit, omni modo complerent, atque legata in primis soluerent, sanxit, vt legitimis heredibus portione legitima relicta, reliquam hereditatis partem vel substitutus acquireret, et illo nolente ea tunc ad coheredes, et fideicommissarios, et legatarios et seruos libertate donatos, et qui ab intestato sunt, et qui extra sunt, et fiscum tandem perueniret, complentes vbique deficientium legitimas dispositiones. Cuius rei causa posita erat in eo, vt non remaneret sine additione morientis hereditas §. 3. cap. I. Nov. I. Quid igitur hac lege voluit efficere, vt destituito testamento legata confisterent? Minime vero. Nam hoc in loco heres interdum hereditatem iam creuerat, sed nolebat agere, quod defunctus praeceperat. Quam ob causam Iustinianus hac lege nouella in primis cauebat, ne testamenta destituerentur, atque deinde legata corruerent.



ruerent. Ideo negare non possum maxime mihi arris-
 sisse opinionem optimi fere Nouellarum Interpretis
 CONR. RITTERSHVSI *ad Nouell. P. VI. cap. 6.* qui
 existimat, hanc Nouellam ad id pertinere, quando he-
 redi vt indigno hereditas auferitur, *cur enim non vi-*
deatur indignus, vt, qui destituit supremas defuncti preces,
consequatur aliquid ex voluntate? l. 55. §. 3. D. ad SCtum
Trebell. et cum antea hereditas statim heredi indigno
 eriperetur, et fisco applicaretur, ex Nouella hac eam re-
 pudiantibus omnibus supra adductis, octauo tantum lo-
 co ea ad fiscum redacta est. Tantum igitur abest, vt
 Iustinianus hac lege destituto testamento succurreret,
 vt potius impediret, quo minus testamentum ad casum
 destituti recideret. Quod eo efficiebat, vt heredibus,
 qui calliditate quadam et dolo eos, quibus quid ex de-
 functi iudicio debebatur, circumuenire vellent, here-
 ditatem auferret, aliosque ad aditionem hereditatis, ne
 ea omiſſa omne testamentum destitueretur, admitteret.
 Ne quis vero existimet, Iustinianum in eo aliquid noui
 statuisse, quod in hac causa, vbi hereditas indigno au-
 fertur, legata subsistere veller, id iam antiquis etiam
 temporibus obseruatum esse legimus *l. 50. §. 2. D. de*
legat. l. Si quis ante quaestionem de familia habitam,
adiert hereditatem, vel necem testatoris non defenderit, le-
gatorum persecutio aduersus fiscum locum habet.

§. XI.

Argumentum ex l. 8. §. 1. D. de iur. Codicill. nihil valet.

Sed iam, misso hoc argumento, aliud in nos torquetur, quod ad speciem satis graue videtur atque magnum. Cum enim in codicillis fideicommissa et legata sine heredis institutione valeant, atque clausula illa testamentaria codicilli naturam inducat, per illam, esse testamentum destituatur, heredisque institutio corruat, legata tamen praestanda esse putant aduersarii, inprimis quod *fideicommissa dari possunt ab intestato succedentibus, quoniam creditur paterfamilias sponte sua his relinquere legitimam hereditatem* per l. 8. §. 1. D. de iure codicill. Et quanquam hanc rationem in codicillis ab intestato procedere largior, eam tamen in iis codicillis, qui a testato appellantur, atque *testamenti iura sequuntur* per l. 15. D. de iure codic. non valere, quisque facile per ea, quae §. VII. et VIII. disputata sunt, intelligit. Cum enim clausula codicillaris testamento adiecta testamentum, quod praecipuum vim ex heredis institutione accipit, §. 34. I. de legat. destitutum confirmare haud possit, neque ab herede ab intestato, qui nihil a defuncto accepit, nihil per fideicommissum relinqui possit. l. 9. C. de fideicom. atque, si nemo hereditatem adiit, nihil valeat, quod in eo scriptum est, l. 9. D. de testam. tutela, ego quidem non video, quemadmodum haec ratio nostram sententiam destruere possit, inprimis cum illa lex supra adducta 8

D

§. 1.





§. 1. D. de iure codicill. ad fideicommissa ab intestato relicta tantum pertineat, in quibus mortuus heredi ab intestato, quanquam eum haud nominauerit, eo ipso, quod nullum alium heredem scripserit, et ab eo fideicommissum reliquerit, hereditatem legitimam reliquisse creditur, quod tamen de testamento, vel codicillo, quo directe alius, vel heres suus, scriptus est, et in quo heredis ab intestato nulla facta est mentio, dici nulla ratione potest. Cum enim testator heredem scripserit alium, illum sua sponte heredi ab intestato hereditatem relinquere voluisse, quis existimet.

§. XII.

*Heredes ab intestato, per clausulam codicillarem ad legata sol-
uenda non obligari, alterius demonstratur, simulque
l. 14. C. de fideic. recte explicatur.*

At, cum clausula codicillaris hoc velit, vt, si testamentum non valeat vt testamentum, tamen vt fideicommissum valeat, atque cum heres fiduciarius ad fideicommissum praestandum cogi possit, nonne idem ad heredes ab intestato duci posse videtur. Iam vero, cum in fideicommissis ante omnia requiritur hoc, vt quis recto iure heres institutus sit, qui hereditatem adeat §. 2. I. de fideicom. hered. deinde testamento ad eam possit, l. 3. §. 2. D. de iure codicill. et ab eo praeterea, qui neque legatum neque fideicommissum, neque hereditatem

tem

zem, vel mortis causa donationem accepit, quales hoc in loco heredes legitimi sunt, nihil per fideicommissum relinquatur l. 9. C. de fideic. non equidem existimo, heredes ab intestato, qui non fuerint honorati, fideicommissio obligari. Quod PAVLI verbis palam fit, qui l. 81. D. de Legat. II. Si quis, ait, testamento facto a filiis suis, quos heredes instituisset, fideicommissa reliquisset, non ut a legitimis heredibus, sed ut a scriptis, et testamentum aliquo casu irritum factum sit, filii ab intestato venientes fideicommissa ex testamento praestare compelli non possunt. Cui merito adiungendus est l. 2. C. si omiff. sit caus. Cum neque adiri ex testamento hereditas, neque bonorum possessio peti possit, iudicium defuncti non usurpabitur, sed ad irritum iuris ratione reuocatum est, petitio relictorum nullo iure procedit; si vero iure facto testamento, cessante herede scripto, alter ab intestato adiit hereditatem, neque libertates, neque legata ex testamento posse praestari, manifestum est. Quod etiam in codicillis, qui vicem testamenti habent, eiusque iura sequuntur l. 16. D. de iure codicill. procedere, dubio iam caret. Neque est, quod huic sententiae opponant auctoritatem l. 14. C. de fideicom. Eam, quam frater tuus instituerat, siue quaesita, siue non quaesita hereditate decefferit, cum tamen simpliciter, antequam duodecimum aetatis annum impleuisset, verbis precarius testamento facto non nullos ei voluerit substitutos, nihil prohibet fideicommissum petere vel ab ipsis heredibus, vel ab his, qui bona intestati tenent. Tunc enim

locum habet, quod regulariter traditur, ea quae in testamento relinquuntur, si ex testamento non adeatur hereditas, non valere, cum verbis relicta directis adiri potuit hereditas, non cum illa ipsa sic data est, ut esset ab intestato successoribus postulanda. Hoc enim facile largior, si fideicommissum etiam ab intestato successoribus relictum intelligitur. Quod si deficiat, neque hereditas hac ratione relicta est, quis, quaeso, fideicommissum ab his, ad quos non spectat testamentum, petat? Et praeterea in *l. add.* factum est quoddam singulare, et quidem ex *DION. GOTHOFREDI ad h. l.* interpretatione, quae nobis videtur vero simillima, eiusmodi. Testator in testamento suo filiam adoptivam heredem scripserat, eique, *sive quaesita, sive non quaesita hereditate decesserit*, verbis precariis alios substituerat, quibus verbis adiectis hoc fideicommissum, si filia hereditatem creuerat, iure fideicommissi, si secus factum erat, ab heredibus ab intestato, ad quos per haec verba: *non quaesita hereditate* respexerat defunctus, et a quibus fideicommissum tacite reliquerat, poterat postulari, quae tamen lex singularis, cum tacite in ea fideicommissum ab heredibus ab intestato sit relictum, supra adductis legibus derogare haud potest.

§. XIII.

Spicilegium obstantium legum, earumque reiectio.

Neque sane adeo curo illorum hominum rationes, qui, cum in aliis testamentis vitiosis interdum legata manere

nere videant, hoc quoque ad destitutum testamentum transferre student. Quis enim est, qui nesciat, collectionem ab vna specie ad alteram nihil prorsus probare, inprimis in hac testamentorum caussa? in qua ex recentiori praesertim Iurisprudencia quaedam testamenta imperfecta simul cum legatis, quaedam sine legatis concidere satis constat. Quam ob caussam neque *l. 77. §. 23. D. de legat. II.* quae de testamento nullo, et fideicommissio propter iurisiurandi religionem praestando agit, et *Const. El. IX. P. III.* quae pariter ad testamenta nulla pertinet, neque *Nov. CXV. cap. 3. §. ult. l. 92. D. de hered. inst. l. 28. D. de inoffic.* quae prorsus singulare quid in se continent, neque *Edictum de legatis certis personis proximis praestandis*, et quae omnia ad rescissa testamenta spectant, sententiae nostrae luminibus officunt, neque ad nostram caussam sunt extendenda per *l. 14. D. d. Leg.* quod adeo ipse aduersarius *B. CARPZOVIVS P. III. Const. II. Def. XXI. de Nou. CXV.* agnouit, approbavitque. Neque sane eo ducenda est *l. 42. D. de fideicommiss. libert.* quam, si inspexeris, non ad testamentum solemne, sed militis accommodandam esse, facile concedes. Vti etiam *l. 3. D. de his, quae in testam. del.* benigna aequitatis ratione subnixae, quae, heredis institutione inducta, legata solui vult, ad illum tantum casum pertinet, *l. cit.* neque contra iuris et *l. 1. C. de posth. hered. instit.* rationem ad consequentiam est producenda *l. 14. D. de legibus.* Multum igitur abest, vt, cum nostra,

quoniam

D 3

quam



quam defendimus, sententia Legum, supra §. VII. seq. adductarum fundamentis inaedificata sit, his subtilibus, et a similitudine petitis argumentis labefactetur.

§. XIV.

Sententiam nostram Scabinatus Lipsiensis approbavit.

Quae opinio nostra si cui videatur noua atque ab eruditorum hominum sententia aliena, fortasse et aliquam auctoritatem, credo, conciliabimus, si, eam a Iuris peritorum Collegio confirmatam esse, docemus. Cum enim illi causarum patroni, qui praeter decantatas Iuris formulas nihil fere sapiunt, omnesque leges, earumque vim tanquam superuacua, et veterum IurisConsultorum placita ut abrogatas subtilitates despiciunt, interdum IurisConsultorum Saxoniorum responso et sententia magis quam centum legibus moueantur, non alienum a re nostra putauimus, si, hanc nostram de testamento destituto sententiam a quibusdam, me multo doctioribus, comprobata demonstrarem, atque huius rei in foro tractatae exemplum nostro libello subiicerem. Cum hic Lipsiae R. E. N. et I. S. R. testamentum mutuum coram Notario et testibus more consueto, adiectaque clausula codicillari ordinassent, et utraque alteram heredem scripissent, additis simul legatis, R. E. N. mortua, I. S. R. hereditatem adit, et ex testamenti formula legatariis hypotheca in aedibus hereditariis constituta cauet. Quae cum ipsa per aliquod tempus haud mutato



mutato testamento diem vltimum obiisset, vna ex legatariis, quibus in illo I. S. R. testamento legatum relictum erat, C. S. Sch. ab ea, quae se pro herede legitima gerebat, I. S. St. legatum ex testamento destituto petebat. Cuius tamen petitioni haud annuit Scabinatus Lipsiensis, qui, posteaquam ab huius Ciuitatis Iudicio Urbico consultaretur, M. Sept. 1745. hunc in modum respondit. Daß Kläger vor allen Dingen das ermangelnde Curatorium bey 5. Thl. Straffe zu denen Acten zu bringen, sowohl den geforderten Vorstand derer Unkosten halber auf 30. Thl. hoch, zu bestellen pflichtig, und hat die von demselben erhobene Klage nicht statt, etc. B. N. 23.

Rationes decidendi

Die weil Kläger in seiner Fol. I. seq. erhobenen Klage selbstn eingeräumet, daß I. S. R. mit N. C. N. im Monath Aug. 1727. ein Testamentum reciprocum, errichtet, und darinne die erstere die letztere zu ihrer Erbin eingesetzt, auch dabey seiner Principalin 100. Thl. zu einem Andeneken legiret, jedoch die instituirte Erbin die N. vor der Testirerin der R. mit Tg. de abgegangen sey, solchemnach berührtes Testament, da der Erbe vorhero verstorben, also die Erbschafft nicht adiren können, von sich weggefallen, und prodestituito zu achten, die clausula codicillaris aber allenfalls nur nach den Leg. 29. C. de Fideicommissis in dem Fall, wenn



wenn der eingefetzte Erbe den Testatorem überlebet und dieser die Erbschafft nicht antreten will, die in solchen geordnete Legata gültig machen könnte, als von welchen Casu der angezogene L. 29. Cod. de Fidei-commiff. handelt, hingegen keinesweges auf den Fall, wenn der Erbe ehender als der Testator mit Tode abgegangen, zu erstrecken, indem bey ienen weiter nicht gestanden, die Erbschafft anzutreten, oder zu repudiren, bey welcher Bewandnis Klägerin das libellirte Legatum nicht fordern kann, folglich der andere Punct, ob Beklagte als cessionaria hereditatis, auch die onera zu tragen, und die Legata zu praestiren habe, ingleichen ob, wann der heres selbstn poenam dupli zu praestiren gehabt, dieses auch auf den Cessionarium gezogen werden könne, weiter zu untersuchen, allhier ohnedem hinweg fällt; so ist von uns gesprochener maßen billig erkannt.

§. XV.

Exceptiones quaedam afferuntur.

Vt vero nihil adeo certum est, quod non rerum, vt vulgo appellant, circumstantiae mutare possint, ita sane negari haud potest, interdum accidere posse, vt etiam ex destituto testamento ad legata praestanda heres ab intestato cogatur. Primo loco factis constat Praetorem Romanum in eos, qui, ommissa causa testamenti, ab intestato hereditatem, partemue eius occupant,

pant, et calliditate eos, quibus ex iudicio defuncti aliquid debetur, circumuenire student, actionem legatorum dedisse l. 1. D. si quis omiff. caussa, quae tamen ratio, si testator heredi permiserit ab intestato succedere, aut si qua alia iusta caussa omittendi interuenerit, locum non habebat l. 6. §. 3. eod. Quoties igitur potest commonstrari, heredem ab intestato vel ipsum, vel collusionem cum herede scripto facta, ut testamentum destitueretur, effecisse, legata hac via haud intercepta esse credimus. Altera ratio est, qua legata in eiusmodi testamento destituto sustententur, si testator etiam de casu intestati disponit, ita, ut iniungat, et tum legata praestanda esse, atque heredum legitimorum fidei committit, quod factum esse videmus in l. 13. D. de inoff. testam. Ea omnia, quae supra dari, fieri iussi, ea dari, fieri volo ab omni herede, bonorumue possessore, qui mihi erit etiam iure ab intestato. Item, quae dari iussero, ea, uti dentur, fiantque fidei eius committo. Quaesita, si soror Centumuirali iudicio obtinuerit, an fideicommissa ex capite supra scripto debeantur. Respondi: si hoc quaeratur, an iure eorum, quos quis sibi ab intestato heredes, bonorumue possessores, successuros credat, fidei committere possit, respondi posse. Quae tamen nec vnica ratio est, cum etiam quis legatarios, in conditionem testamenti destituti, heredes in legatorum summam scribere possit, qua ratione nec ipsum testamentum destitutum dici potest. Cuius cautela formula in quodam testa-

E

mento

mento me legere memini, cuius ea verba erant: Da-
ferne es sich begäbe, daß mein Erbe noch vor mir mit
Tode abgehen möchte, soll dieses mein Testament den-
noch was die geordneten und obenbenimten Legata
betrifft, beständig, und bey Kräfften bleiben, und die
Legatarii hiermit, und zwar jedes auf so hoch als ich
ihnen etwas beschieden, zum Erben eingesetzt seyn,
das übrige aber meinen Erben ab intestato zufallen,
quod carmen nihil, nisi substitutionem quandam vul-
garem: *Si ille heres non erit, pr. I. de vulg. substit. l. 3. C.
de hered. inst. continet.* Quoties igitur hereditas ita reli-
cta est, vt etiam ad heredes ab intestato pertineat, et
ab iis postulari possit per *l. 14. C. de fideic. et l. 29.
§. 1. D. qui testam. fac.* vel in testamento verba
communia adsint, quae tum ad legata, tum ad here-
dis institutionem duci possunt, toties etiam, cessante
herede scripto, legata soluenda esse arbitror. Quod
etiam seruatur tum, cum pluribus heredibus scriptis
vnus heredum, a quo legatum relictum erat, ante tes-
tatoris mortem decessit, quo facto, vti constat, here-
ditas alteri cum onere accrescit. *l. vn. §. 10. C. de ca-
duc. toll.* In quem censum fortasse quoque referri
possunt legata ad pias causas relicta, in quibus *testato-
ris voluntas tantum adimplenda est*, per *Cap. IV. X. de
Testamentis*, et quae etiam ex imperfectis iure Ciuili
testamentis deberi videntur per ea, quae *Illustr.
BOEHMERVS Iur. Ecclesiast. Prot. stant. Tom. II. Lib. III.
Tit.*

Tit. XXVI. §. 26. sqq. et STRYCKIUS in Cautel. Test. Cap. XII. §. 3. satis docte disputarunt, quorum tamen Virorum rationes omnes, meas haud facio.

§. XVI.

Conclusio.

Sed cum satis, vti nobis videtur, dictum sit de proposito nostro, atque vehementer nobis verendum sit, ne, quae a nobis rudi admodum penicillo elaborata sunt, Lectoribus fastidium creent, et ipsam breuitatis, quae sola tractationi nostrae inest, laudem corrumpant, hic finem tractationi nostrae imponere non dubitauimus, si modo id ab Humanissimis Doctissimisque Lectoribus impetrauerimus, vt existiment, hanc nostram opellam eo inprimis consilio esse scriptam, vt propositis ad illam doctissimis dubitationibus doctiora discamus, tantum absit, vt alios nouum quid et ab interiori Iuris arte petitum, quod nostras vires longe superat, docere voluerimus.




vd 18

ULB Halle
006 529 909

3







932

No. CXXVII.

DISPUTATIO IURIDICA *1746, 14.*
DE
LEGATIS EX TESTAMENTO
C V I
CLAVSVLA CODICILLARIS INEST
DESTITVTO NON PRAESTANDIS

Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
A. D. IV. AVG. C I D I O C C X X X X V L
H. L. Q. C.
D E F E N D E R E
S V S C I P I E N T
D. CHRISTIANVS WILHELMVS
K V S T N E R V S
SVPR. CVR. PROVINC. ET CONSISTOR. ADVOCATVS
E T
IOANNES WILHELMVS RICHTERVS
L I P S I E N S I S.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

